



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Iohanni Illvstri Regi Angliae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

SALZBURGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 157.

**C**um dissensionis materia &c. ut in alia usque sublata. Quocirca fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes sub debito juramenti quo nobis in hac parte teneris, & in remissionem peccaminum injungentes, quatenus divinæ dispositioni consentiens, quæ circa carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem evidenter elucet, nostrum iudicium approbando, ei patenter & potenter adhareas, impendendo sibi auxilium & favorem, recepta tamen ab eo super indemnitate Salzburgeris Ecclesiæ idonea cautione. Alioquin &c. ut in alia.

*In eundem modum Maguntino, Treverensi, Coloniensi, & Magdeburgeris Archiepiscopis, & Episcopo Alberstadeni, ita quod unicuique scotissim.*  
*In eundem ferè modum Iudicibus, Scabinis, & civibus Coloniensibus.* Certa multorum relatione didicimus &c.

NOBILI VIRO DVCI  
Zaringæ.

Epist. 158.

**C**um dissensionis materia, quæ peccatis exigentibus hætenus in imperio pullulavit, nimis damnosa fuerit, non ipsi tantum imperio, verum etiam toti populo Christiano, nos, qui ad regimen universalis Ecclesiæ superna sumus dispositione vocati, diligenti debemus sollicitudine præcavere ne per alicujus insolentiam reviviscat quæ per divinum iudicium est sublata, crudele facinus detestantes quod pius animus perhorrescit. Quocirca nobilitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus divinæ dispositioni consentiens, quæ circa carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottonem evidenter elucet, nostrum in hac parte iudicium approbando, ei patenter & potenter adhareas, impendendo sibi auxilium & favorem; ut per hoc divinam & apostolicam gratiam uberius merearis. Alioquin præter divinam offensam, apostolicam quoque censuram incurres, cum eidem Regi nolimus in suo jure deesse, qui sumus omnibus in sua iustitia debitores.

*In eundem modum Duci Meravia, Duci Saxonia, Duci Bavaria, nobilibus viris vassallis ducatus, Marchioni Misnensi, Marchioni de Brandeburg, Marchioni de Landesberg, Duci Austria.*

IOHANNI ILLVSTRI REGI  
Angliæ.

Epist. 159.

**E**cce jam tempus advenit in quo si carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni nepoti tuo curaveris magnificè subvenire, te ipsum magnificè valebis ultra quam expediat nunc litteris explicare. Cum igitur ad honorem & profectum tam ipsius Regis quam tuum efficaciter aspiremus, serenitatem tuam monemus & exhortamur attentius, fideliter consulentes quatenus circa subventionem ipsius te nec durum exhibeas nec avarum, sed taliter ei simul ac semel studeas subvenire quod tuo accedente subsidio quod commodè nunc prævalet expe-

diri, per nostræ sollicitudinis studium feliciter consummetur.

LITTERÆ OTTONIS REGIS.  
in Romanorum Imperatorem electi.

Epist. 160.

**R**everendo in Christo Patri ac Domino carissimo Domino Innocentio Dei gratia sanctæ Romanæ sedis summo Pontifici, Otto eadem gratia & sua Romanorum Rex & semper Augustus, debitam subjectionem ac reverentiam cum filiali dilectione. Quod hætenus sumus, quod sumus aut erimus, quantum ad regni pertinet promotionem, totum vobis & Ecclesiæ Romanæ post Deum debentes, quod & gratantissimè recognoscimus, pro omnibus vestræ gratiæ beneficiis uberrimas sanctitati vestræ referimus actiones, erga vos & omnes quibus banum vultis exhibitam nobis benignitatem studiosissimè semper merituri. Vestræ proinde paternitati attentissimè supplicamus ut intuitu omnis devotionis nostræ & honoris Dei ac vestri ipsius, ac promotionis Ecclesiæ Romanæ respectu, ex quo misericordia Dei, ut speramus, consanguineo nostro sublato de medio, tempus vobis contulit faciendi, omne vestræ discretionis consilium & auxilium nostræ promotioni, quæ sine dubio vestra est, propensius impendatis. Scire præterea vos volumus quod Archiepiscopus Magdeburgeris & Halvestadensis & Mindensis Episcopi ad nostrum auxilium & servitium accesserunt. De Duce Bernardo sciatis nuntios vestros eo die quo has litteras vobis destinavimus cum ipso fuisse, & eò usque cum ipso actum esse ut cum omnino speremus in nostra fidelitate & servitio permansum. Frater noster Palatinus Comes Rheni, Deo gratias, ad nostram integrè rediit caritatem; & ex quo mortuus fuit consanguineus noster, nobis etiam ignorantibus nos in omnibus quibus promoveri potuit non cessavit. Spirensis etiam Episcopus nobis securitatem fecit & nostram per omnia studeat utilitatem & honorem. Multi præterea Episcopi, Barones, Abbates, & Castellani, & ministeriales tam in Suevia quam circa partes Rheni superiores & inferiores & aliàs in imperio constituti de suo nobis servitio & fidelitate scripserunt, & per fideles nuntios mandaverunt, sed pro angustia temporis & distantia locorum ad nos adhuc corporaliter accedere minime potuerunt. Orientales etiam Principes diem quendam, videlicet nativitatem beatæ virginis Virecburch statuerunt, quasi de imperio ordinaturi; quod & alios Principes venire hortati sunt, & nobis de die & loco mandaverunt. Consuetæ igitur benevolentie vestræ & in omnibus probate iterum devotissimè supplicamus ut sicut nobis & vobis noveritis expedire, generaliter omnibus Principibus, & specialiter nbi necesse vobis visum fuerit & utile, per bonos ac fideles nuntios vestros scribere digemini, adiciant preces, consilium, & mandatum, bonam vestram voluntatem omnibus declarantes. Perutile autem nobis foret si hæc usque ad diem prænominatam efficere possitis Archiepiscopos autem Maguntinum & Coloniensem ad nos quantocius redire faciatis. Civitatibus etiam Italiae & Tusciæ de nobis scribite, laudantes eas quæ hætenus in nostra & vestra devotione manserunt, & eas quæ hætenus nesciebant nos ad nostrum favorem exhortantes. Rogamus item ut si de Ecclesiâ Bremenensi & ejus electis vobis sive per Regem Dacie, sive per quemcunque mentio facta fuerit aut peticio, ejus negotij executionem usque ad adventum nuntiorum nostrorum, quos vobis super eo idoneos quantocius mitemus, differatis; scientes pro certo quia secunda electio, sicut & prior, & contra Deum & contra jus & rationem facta est, & neutrius promotio vel vobis vel nobis noscitur expedire. Super omnia autem nos & causam nostram immo vestram vestro subicimus consilio & voluntati, certissimi ut quod paternè erga nos cepistis, in quo bene hætenus perseverastis, ad laudem & gloriam Dei & Ecclesiæ Romanæ & utilitatem optimè perficere debeatis.

ILLVSTRI REGI OTTONI  
in Romanorum Imperatorem electo.

Epist. 161.

**P**riusquam ad nos, fili carissime, post occasum Philippi quondam Ducis Sueviæ quiscumque ex parte tua nuntius cum litteris pervenisset, peregrinus universa quæ post a nobis per